



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 2. Vtrum homo possit esse beatus possessione boni creati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

QVÆSTIO II.

Utrum homo possit esse beatus possessione boni creati.

S. Thomas quest. 2.

tur minor: nam auarus ideò amat diuitias, earumque possessionem, quia amat se ipsum, non autem è conuerso ideò amat se ipsum, quia amat diuitias, earumque possessionem; ergo &c. Proportionaliter finis *qui*, e. g. bonum beatificans, ita amatur propter se, & propter suam bonitatem, vt sit ratio amandi possessionem ipsius, non è conuerso. Quia enim amo bonum beatificum, amo eius possessionem, & volo illud possidere, non è conuerso quia amo possessionem boni beatifici, amo ipsum bonum beatificum; ergo finis *qui* est principalior, & magis amatur, quam finis *quo*.

39. Secundum, quod debet aduerti est. Duplex est amor, alter concupiscentiæ, quo amamus nos ipsos vt finem *cui*; alter amicitia, quo amamus amicum vt finem *cui*.

40. His positis, dum dicimus beatitudinem esse vltimum finem nostrum, dicimus illam esse vltimum finem *qui* amoris concupiscentiæ, quo amamus nos ipsos, non autem esse vltimum finem *cui*, vel vltimum finem *qui* amoris amicitia. Ad hoc autem, vt sit vltimus finis *qui* amoris concupiscentiæ, requiritur, & sufficit, vt non ordinetur ad alium finem *qui* magis amatum amore concupiscentiæ, non autem requiritur, vt non ordinetur ad alium finem *cui*, vel ad alium finem *qui* magis amatum amore amicitia; sed beatitudo licet ordinetur ad nos ipsos tanquam ad finem *cui* principaliorem, & ad gloriam Dei, tanquam ad finem *qui* magis amatum amore amicitia, & charitatis, quo diligimus Deum, tamen non ordinatur ad alium finem *qui* magis amatum amore concupiscentiæ; ex amore enim concupiscentiæ, quo amamus nos ipsos, nihil debemus magis amare, quam nostram beatitudinem, licet quia per charitatem debemus magis amare Deum, quam nos ipsos ex amore Dei debeamus beatitudinem, magis amare, in quantum per ipsam glorificatur Deus, quam in quantum est bonum nostrum; ergo &c.

41. Adde vltimum finem *qui* procurandum per charitatem esse, vt Deus summè glorificetur in nobis; sed gloria definitur à Sancto Augustino lib. 83. quæstionum qu. 31. *Clara notitia cum laude*, adeoque Deus summè glorificatur in nobis per hoc, quod summè à nobis cognoscatur, & laudetur; ergo vltimus finis charitatis est, vt Deus summè à nobis cognoscatur, & laudetur; sed Deus summè, & clarissimè cognoscitur, ac laudatur, cum videtur prout in se, & in hoc ipso consistit nostra beatitudo; ergo vltimus finis *qui* procurandus per charitatem est nostra beatitudo, in quantum continet summam Dei glorificationem.

1. **V**idetur, quod possit, primò quia possessione boni creati, & finiti potest quietari, & expleri naturale desiderium hominis; sed hoc sufficit ad hoc, vt homo reddatur beatus; ergo &c. Probatur maior. Cum enim homo possidet totum bonum, cuius est capax, quietatur eius desiderium naturale; sed homo est capax solum boni creati, & finiti; ergo &c. Probatur minor: quod enim habet solum capacitatem finitam, est capax solum boni finiti; sed homo habet solum capacitatem finitam; ergo &c. Probatur minor: capacitas enim hominis identificatur cum eius entitate; sed entitas est finita; ergo, & capacitas.

2. Secundò ad hoc, vt homo sit beatus, sufficit, vt possideat bonum possessione creata, & finita; ergo sufficit etiam, vt possideat bonum creatum, & finitum: eadem enim est ratio.

3. Tertiò sola bona finita, & creata possunt ab homine possideri, bonum autem infinitum, hoc est Deus possideri non potest; siquidem possideri ab altero est imperfectio rei possessa; ergo &c.

4. Quarrò non potest creatura rationalis beari possessione bonorum extrinsecorum; sed bonum infinitum, hoc est Deus, est extrinsecum cuiuslibet creaturæ rationali; ergo &c.

5. Respondeo impossibile esse, vt homo, & quælibet natura rationalis, vel intellectualis sit beata possessione boni creati, & finiti. Probatur: nam impossibile est, vt quod est capax boni infiniti, & continentis omne bonum sine vllò defectu, beatificetur, & sit contentum possessione boni finiti, defectuosi, & imperfecti; sed homo, & quælibet natura intellectualis est capax possidendi Deum, qui est bonum infinitum, & continens omnia bona sine vllò defectu; ergo &c. Probatur maior; nam verum, & pulchrum possidet, illud cognoscendo, & contemplando; bonum verò possidet illud præsertim experimentaliter percipiendo, eoque fruendo, eo pacto, quo gustus possidet bonum dulcedinis, aliorumque saporum, illos experimentaliter percipiendo, & gustando; sed quælibet creatura rationalis potest Deum vt summum verum, & pulchrum cognoscere, & contemplari, ac percipere, quam bonus, & suavis sit Deus, iuxta illud Psal. 33. *Gustate, & videte, quam suavis est Deus*; ergo quælibet creatura intellectualis potest possidere Deum vt summum verum, pulchrum, & bonum, adeoque non potest quietari possessione vllius boni creati,

&

& finiti, iuxta illud Augustini lib. 1. confession. c. 1. *Facti sumus ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te*: Deo autem potest quietari, & expleri naturale desiderium iuxta illud Psal. 102. *qui replet in bonis desiderium tuum*.

6. Probatur secundò conclusio. Nam, impossibile est, vt natura rationalis sit contenta, nisi obtineat finem voluntatis; sed finis voluntatis est bonum perfectum, & vniuersale continens omnia bona; ideoque experimur, quod appetimus omnia bona; ergo impossibile est, vt natura rationalis sit contenta, nisi obtineat bonum perfectum, vniuersale, & continens omnia bona; creaturæ verò sunt bona imperfecta, particularia, & participata, hoc est habentia solum particulam boni; ergo &c. Videri potest S. Thomas qu. 2. art. 8.

7. Inferri potest breuis summa doctrinæ, quam tradit Sanctus Thomas hic tota qu. 2. & magna ex parte desumpta est ex Aristotele 1. Ethicor. cap. 5. & sequentibus.

8. Inferitur igitur primò, quod vt docet art. 1. beatitudo non potest consistere in diuitijs. Beatitudo enim expetitur propter se; sed diuitiæ expetuntur non propter se, sed propter alia; ergo &c. Probatur minor: nam diuitiæ naturales, quibus nimirum subuenitur humanis defectibus, quales diuitiæ sunt cibus, potus, vestimenta, vehicula, expetuntur ad subueniendum humanis defectibus famis, sitis, nuditatis, lassitudinis &c. diuitiæ artificiales, hoc est pecuniæ, quæ inuentæ sunt propter commutationes, expetuntur ad emendas diuitias naturales.

9. Inferitur secundò, quod vt docet art. 2. beatitudo non potest consistere in honoribus. Probatur primo: nam beatitudo debet esse in eo, qui est beatus, & in ipsius dominio, non autem in dominio alterius, ita vt facile possit auferri; sed honor non est in honorato, sed in honorante, atque in dominio honorantis, adeoque facillimè potest auferri; ergo &c.

10. Probatur secundò principaliter. Beatitudo enim cum sit maximum bonum, & maxima excellentia naturæ rationalis, non potest consistere in eo, quod desideratur solum vt signum excellentiæ; sed honor exhibetur propter aliquam excellentiam, ac solum desideratur vt signum talis excellentiæ; ergo beatitudo non consistit in ipso honore, sed in ea excellentia, propter quam natura rationalis est maximè honorabilis.

11. Inferitur tertio, quod vt docet art. 3. beatitudo non potest consistere in fama, & gloria humana. Probatur: gloria enim ex S. Augustino lib. 83. quæstionum quæst. 31. est clara alicuius notitia cum laude; sed melius est, vt quis habeat bonum, per quod possit in alijs causare de se claram notitiam cum laude, quam vt clarè cognoscatur, & laudetur; er-

go beatitudo, quæ est summum bonum, non consistit in laude, & gloria, sed in hoc, quod natura rationalis habeat bonum, propter quod sit glorificabilis, & laudabilis.

12. Inferitur quartò, quod vt docet art. 4. beatitudo non consistit in potentia, seu potestate. Probatur: nam potestas est quoddam principium, quo possumus benè, & malè vti, & habet pro fine rectum vsum: sed beatitudine non possumus malè vti, & est vltimus finis; ergo beatitudo non consistit in potentia, seu potestate, sed potius in recto vsu potestatis, & cuiuslibet potentia, ac virtutis.

13. Quia omnia bona fortunæ reducuntur ad quatuor dicta, concluditur beatitudinem non consistere in bonis externis fortunæ. Et quidem in nullo dictorum quatuor consistere beatitudinem confirmat S. Thomas eodem art. 4. quatuor rationibus communibus. Prima ratio est. Beatitudo cum sit summum bonum, non potest in subiecto coniungi cum vilo malo, præsertim maximo, qualis est malitia peccati, ideoque non potest dari in hominibus malis; sed etiam mali possunt possidere diuitias, honorem, gloriam, & potentiam; ergo &c.

14. Secunda ratio est. Beatitudo ex Aristotele 1. Ethic. cap. 7. est bonum sufficiens, ideoque illa habita, non potest homini deesse vllum bonum necessarium ad hoc, vt benè se habeat; sed habitis his quatuor bonis, possunt homini deesse multa bona necessaria ad hoc, vt benè se habeat, puta sanitas, sapientia, virtus moralis &c.; ergo &c.

15. Tertia ratio est. Beatitudine nemo potest malè vti, neque ex illa potest homini provenire malum; sed ex his quatuor possunt homini provenire multa mala, iuxta illud Ecclesiast. 5. *Diuitiæ interdum conseruantur in malum domini sui*; ergo &c.

16. Quarta ratio est, quia cum beatitudo sit finis naturæ, quæ est principium intrinsecum, debet pendere ab hoc, quod homo intrinsecè benè se habeat: sed hæc non pendet ex hoc, quod homo intrinsecè benè se habeat, sed præcipuè pendet à causis extrinsecis, ac præsertim à fortuna, ideoque vocantur bona fortunæ; ergo &c.

17. Inferitur quinto, quod vt docet art. 5. beatitudo non consistit in vilo bono corporis. Probatur: nam corpus comparatur ad animam, sicut materia ad formam, & sicut instrumentum ad motorem, adeoque est instrumentum animæ; sed materia habet pro fine formam, & instrumentum habet pro fine motorem; ergo corpus, & omnia bona corporis non sunt vltimus finis, sed habent pro fine animam, & bona animæ; sed beatitudo est vltimus finis; ergo beatitudo non potest consistere in corpore, vel in vilo bono corporis, puta in sanitate, robore &c.

18. Hinc vltèrius sequitur beatitudinem non posse consistere in ipsa existentia, & conseruatione animæ, seu naturæ intellectualis.

Pro-

Probatur: nam natura intellectualis, quæ non est ipsa actualis intellectio, & volitio, non est suus ultimus finis, quo sit contenta, sed ordinatur ad hoc, vt actualiter intelligat, & velit, ita vt eo ipso, quod non obtineat actum intelligendi, & volendi, sit frustra; sed natura intellectualis creata non est sua actualis intellectio, & volitio; ergo non est suus ultimus finis qui, nec est contenta per hoc, quod existat, sed ordinatur ad actualiter intelligendum, & volendum; sed beatitudo est ultimus finis, quo natura est contenta; ergo &c.

19. Inferitur sextò, quod vt docet artic. 6. beatitudo non potest consistere in vlla operatione, quam anima exerceat per corpus, neque in voluptate corporea. Probatur: nam beatitudo ex dictis non potest consistere in possessione vllius boni, & obiecti creati; sed anima per operationes, & voluptates corporeas potest solum possidere bona, & obiecta sensibilia, & creata; ergo &c.

20. Inferitur septimò, quod vt docet artic. 7. possessio beatitudinis debet consistere in aliquo bono creato, ac proindè intrinseco animæ: bonum autem, quod possessum beatificat, est increatum, atque animæ extrinsecum. Probatur: nam ex dictis beatitudo vt bonum possessum est Deus, qui est extrinsecus animæ; sed Deus non potest possideri possessione quietatiua, nisi per aliquid animæ intrinsecum, adeoque creatum, vt ostendetur quæst. sequenti; ergo &c.

21. Ad 1. nego maiorem. Ad probationem nego minorem, in qua assumitur hominem esse capacem possidendi solum bonum finitum. Osum est enim quamlibet naturam rationalem esse capacem possidendi bonum infinitum illud cognoscendo, & contemplando, eoque fruendo. Ad probationem minoris, distingo maiorem: quod habet capacitatem finitam entitatiuè est capax solum boni finiti, nego maiorem: quod habet capacitatem finitam terminatiuè, concedo maiorem; distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Intellectus, & voluntas licet habeant capacitatem finitam entitatiuè, vt potè identificatam cum entitate finita, tamen habent capacitatem infinitam terminatiuè, quatenus possunt cognoscere, & amare bonum infinitum; sed cognoscendo, & amando possunt illud possidere; ergo licet habeant capacitatem finitam entitatiuè, tamen possunt possidere bonum infinitum.

22. Sed vrgebis. Quod est capax boni debet habere proportionem cum bono, cuius est capax; sed finitum non habet vllam proportionem cum infinito; ergo quod habet capacitatem finitam non est capax boni infiniti.

23. Respondeo distingo maiorem: quod est capax boni debet habere proportionem æqualitatis, vel per quam finities sumptum possit æquare, nego; debet habere proportionem cuiusdam adaptationis, concedo; distin-

guo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Linea terminatur puncto, ideoque habet aliquam proportionem cum puncto, & tamen punctum neque est æquale lineæ, neque finities sumptum potest æquare lineam, adeoque non habet proportionem æqualitatis cum lineâ. Similiter intellectus finitus licet non habeat proportionem æqualitatis cum obiecto infinito, tamen habet proportionem cuiusdam adaptationis, propter quam sicut potest cognoscere obiectum infinitum, sic potest illud possidere, cognoscendo, contemplando, & percipiendo.

24. Ad 2. concedo antecedens, & nego consequentiam, & retorqueo argumentum. Si homo posset possidere summum bonum possessione infinita, proculdubio non posset beari possessione finita; sed homo est capax possidendi infinitum bonum, illud cognoscendo; ergo non potest beari possessione vllius boni finiti.

25. Ad 3. Nego infinitum bonum, hoc est Deum possideri non posse ab homine. Dum opponitur: possideri ab altero est imperfectio, distingo; possideri purè vt obiectum intellectum, & amatum, nego; possideri alio genere possessionis, transeat. Quidquid sit, vtrum possideri alio genere possessionis sit imperfectio, euidentis est, quod possideri purè vt obiectum intellectum, & amatum non est vlla imperfectio.

26. Ad 4. distingo maiorem: non potest natura intellectualis beari possessione extrinseca bonorum extrinsecorum, concedo; possessione intrinseca boni extrinseci, nego. Potest natura intellectualis beari possessione intrinseca Dei, qui est bonum extrinsecum, vt magis explicabitur infra qu. 3.

QVAESTIO III.

Virum beatitudo formalis, seu possessio beatifica summi boni, debeat esse operatio vitalis.

S. Thomas qu. 3. art. 1. 2. 3.

1. **V**ldetur, quod non, primò quia homo constituitur formaliter beatus possessione summi boni; sed non potest constitui formaliter beatus vllò bono creato, & finito; ergo possessio summi boni non potest esse bonum creatum, & finitum; sed omnis operatio vitalis est bonum creatum, & finitum; ergo possessio summi boni non potest esse operatio vitalis.

2. Secundò possessio beatifica summi boni est vltimus finis naturæ intellectualis; sed nullum creatum potest esse vltimus finis naturæ intellectualis; ergo possessio beatifica summi boni non potest esse operatio vitalis, quæ est creata. Probatur minor: nam vltimo sine fruendum est; sed solo Deo est fruendum,